DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRIGNI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM DIE JOVIS XXIII. FEBRUARII.

M. CLAUDIO QUIQUEBOEUF Doctore Medico, Præside.

An utilis à spontaneis alimonia?

MAGISTER artis venter, cujus explendæ vasto hiatu voragini, prælato gurgiti saturando, tellus nec modo lœta, quantum in se est, in cibum parabili segete, verum & quidquid adjuncti est elementi, imo tota laborat natura: tantam ingerendi cibi necessitatem arguit, ut recurrente toties ejus latratu, si quid de ejus demenso, vitæ subduxeris, hancce defraudationem, haud ullum citra sui exitium animal patiatur, quam ocius succi plenâ carnium mole collapsurâ. Tanti siquidem momenti ac ponderis est in cudendo alimento ejus officina, ut quidquid triplicis substantiæ effluvium damni minatur ac jacturæ, id confecto ab ea alimento resarciatur; alimentum siquidem dicitur, quod augere corporis substantiam virtutis est ac potentiæ: hinc pro triplici nostri corporis substantia, quæ continuo dissipatur, solidâ, spiritali & humidâ, triplicem quoque convenit esse alimenti differentiam, quod non nisi similitudine totius substantiæ fiat nutritio, quam cibus, potus & aër instaurant.

PRO ipsa victus lege, cujus tanta vis est, ut nulla hanc in vitæ præsidium adæquet ac tutelam, facto laudabilis cibi à vitioso discrimine, qui vitæ vel in longum decurrendæ consultum velit, caveat, ne quid in alimenti delectu peccet, hujus delicti in se admissi, toto ejus decursu graviores pœnas daturus; quas ut fugiat, non quolibet, non quo iners plebecula, ruri degentes inter rastros & sarcula, inter rubos sentesque (stolones ipsi ac frutices) cæpas prandeant & sinapi cænent, γαςρίμαργοι, quorum ventriculi rabies, qualibet injectâ sedatur offâ; verum dulci præ cœteris cibo indulgeat, ἑλκυστικὸν siquidem habet dulcedo, ut sui quemque rapiat illecebra, palato cuilibet vel agresti placitura, quo fit ut nihil præterquam dulce nutriat, tantumque rei cuilibet sit nutricatus quantum ei fuerit blanditiarum ac dulcedinis, cui se totam vovet natura dicatque; quod acris quidpiam continet, id ei non minus quam naturæ infensum, fugiat; quam ipsa amarum oderit, id pariter aversetur; quod acerbi in se cohibet id à se longius dissitum velit; quidquid salsi vel nimium sapit id à se removendum putet; quidquid denique pravæ qualitatis haud immune fuerit quam ocius submoveat.

UT vitæ in viventibus sors diversa & conditio, sic & alimenti, quod viventis unius est & ad vitam. Stirpes quia solo affixæ hærent, paratum & simile sibi inveniunt non faciunt, ideoque vacant excrementis: animalium non idem primus condus; nonnulla destinato utuntur alimento, herbis & frugibus vescuntur; alia carnivora & πάμφαγα; ex iis homo est, cui veluti terræ domino & regi, liberalior parens natura sinum aperuit; herbis, leguminibus, fructibus horariis & conditivis vescitur, carnibus quoque ventri litat, seu piscium seu animalium; salubrius tamen ex iis alimentum quo similius & cognatum magis, dotesque omnes obtinet in alendo naturæ votis commodiores, ut neque facessat coquenti ventriculo negotium nec in distributione hæreat inter partium angustias, nec ob excrementa oneri & labori, sed tota sui parte frugi sit: summa illius fœlicitas est si virtute quam mole superet.

MULTUM proinde ad vitam salubriorem interest, unde nutriaris: incuriosus nempe victus, quos sanos natura dederat adscribit causariis: salubrior homini ab animantibus quam à frugibus victus, quo quidquid oleosæ substantiæ exhaustum est resarcias; his enim vix quidquam est τοῦ ἰκμαλέου, illis vero abunde est ad ubertatem & gratiam integræ nec defectæ nutritionis, in quorum substantiâ nec crassitudo officit coquenti, nec teneritas deest ad consummatam alterationem, nec facilitas ad ἀνάδοσιν abest; nec obest, quæ negotium ultimæ nutritionis interpellare solet, succi impuritas & crassitudo lentoris: nec animalia quibus ferinus victus est talem victum suppeditare credas: quæ venenatis vescuntur noxia experiere, potissimum si quid illa, ingluvie, fame, aut morbo peccaverint.

UT dotibus seu alimenti seu medicamenti præstantiores stirpes, quæ ultro & sponte solido almæ parentis beneficio nobis surgunt, adolescunt & fructificant, præ iis quarum nativas dotes cura & industria olitoris solet semper adulterare & corrumpere vel præmaturè urgere impatienti & præcipiti studio: Ita plane videntur avido ventriculo & benevolenti in alimentum acceptiora ἀπὸ τοῦ ἐκ ταυτομάτου nata animantia, quæ largiter nobis occurrunt ceu gratuita naturæ dona nec precario extorta, utpote quæ determinate ad unum naturæ nec unquam aberrantis genium & legem omni ex parte destinata, nullius sunt conscia vitij, quod in parentum semine aliter natis hæret ac sese propagat insitivis vitæ infœlicioris peccatis: unde hæc sæpius quam illa, monstra & naturæ παρεκβάσεις solent infamare; nec mirum, nempe quæ ἀπὸ ταυτομάτου, vires sinceras retinent, cum naturæ fundi sint tota, succique ideo sincerioris.



Ergo utilis à spontaneis alimonia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

Proponebat Lutetiæ NICOLAUS PELLETIER, Pithiverius. A. R. S. H. 1673.